

currere debeat et quod vestre excellentie seu regno vestro in detrimentum honoris aut dedecus cedere valeat vel quod debeat vestris precordiis turbacionis spiritum generare. Eapropter petimus cum affectu, quatinus contra ea, que de ipsius innocentia et excusacione liquido stilo vobis describimus, non velitis aliquibus contrarium referentibus aures regias applicare. Duret et valeat vestra regia celsitudo.

Dat. Spire, Kalend. Septembr., regni nostri anno primo.

Rückwärts: Excellenti ac magnifico principi Phillippo Francorum regi illustri amico nostro karissimo.

Ohne Siegelspuren.

## XII. Notariatsinstrument über Absendung einer Gesandtschaft der Markgrafen von Este an König Heinrich VII. 1311 Jan. 7.

Or. Modena, Archivio di Stato 'Ferrara' n. 580. Inv°. 1545.

In Christi nomine amen.

Anno eiusdem nativitatis Domini | millesimo trecentesimo undecimo, indicione nona, die septimo mensis Ianuarii, Ferarie in palatio infrascripti domini Aldrevandini Esten(sis) et Anchon(ensis) marchionis pressentibus dominis Francisco de Medicis iudice de Feraria, Bartolameo et Iacobo de Aldigeriis Ferariensibus, Bulgarino de Ioculis de Feraria, Lio de Liavenantis<sup>a</sup> de Feraria et aliis testibus rogatis et vocatis. Nobillis vir Aldevrandinus Esten(sis) et Anchon(ensis) marchio filius et heres una cum nobili viro Francisco fratre suo Esten(si) et Anchon(ensi) marchioni olim bone memorie nobilis viri Obizonis Esten(sis) et Anchon(ensis) marchionis fecit, constituit et ordinavit religiosum virum fratrem Petrum de Gavaxinis priorem ordinis fratrum Predicatorum de Feraria absentem tamquam pressentem suum certum nuncium et procuratorem legitimum ad conparendum cum reverencia et honore coram illustri et dignissimo Romanorum rege domino Henrico futuro imperatori et ad investiciones et confirmaciones petendum et recipiendum omnium iurium, iuridicionum, bonorum et possessionum, ubicunque consistent, secundum formam privilegiorum suorum veterum et novorum et secundum quod sui maiores de Romano imperio antiquitus habuerunt.

a) 'Liautnantis' Or.